

circumgestamus, hæc eadem terrestria, ex Adami semine progenita, corpora regnum cœlorum ingredi posse, blaterant, adeòque ea vel planè non resurrectura esse, vel si resurgant iudicioque sistantur, mox tamen in nihilum redactum iri, ut solum illud cœleste corpus introiturum sit in cœlestia gaudia, abusi loco *I. Cor. XV. 36.--45. 50.* de qua illorum opinione testimonia, quæ hic congerere instituti nostri brevitatis non permittit, iterum videantur apud COLBERGIUM *l. c. Cap. XIII. §. 6.* & BAJERUM *l. c. cap. XX. th. 2.* Tales sunt de diverso hominis statu Fanaticorum homuncionum hypotheses, ex quibus omnibus, differentiam hominis regeniti & irrogeniti substantialem atque specificam esse, necessario nexu fluit.

§. IX. An autem & istis favere dicendus est Auctor, qui hanc, specificam regenitorum & irrogenitorum differentiam asserentem, Observationem nobiscum communicavit, ut ex istis hanc suam derivaverit sententiam? Credimus, sufficienter in Præfatione probatum nos dedisse, dictam Observationem non alius, quam Thomasiæ ingeniû fœtum esse. Quod si fortè, præter opinionem omnem, in eo erraverimus, ostensum errorem quam lubentissimè retractabimus: Interim eum se Auctorem *des Versuchs vom Wesen des Geistes* haud negaturum esse, quam certissime persuasi sumus. Age igitur, inquiramus, licet, an fanaticas hypotheses approbet Auctor, iisque hanc suam sententiam superstruxerit? Id namque non parum ad argumentorum utriusque partis tractationem conferet. Consulentes itaque alia Thomasiæ Scripta, istam, de duplici Adami lapsu & potentia spiritali modo in se ipso & ex se ipso se multiplicandi soli Adamo ante primum lapsum competente, quam ex officina sutoria egressi illius Theologi & recentioris istius Theosophi *præc. §.* diximus, sententiam vero haud absimilem videri Thomasio, imo Origenem, eumque secutos alios, comestionem ab arbore vetita mysticè denotare congressum carnalem cum Eva, non nisi ex confusione ac mixtione duplicis istius lapsus stautuisse, judicari deprehendimus, *Disput. de Fundamentor. definiendi Causas Matrimonial. hætenus receptor. Insufficiencia §. 17.* Quando autem *Tentamina* illa de *Essentia Spiritus* tentamus, non quidem, quod magnam partem philosophicè præstitit REALIS de VIENNA, in *Prüfung des Versuchs vom Wesen des Geistes*; in omnes